

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Oratio XXXVI: De provinciis consularibus

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

# DE PROVINCIIS CONSULARIBVS.

ORATIO XXXVI.



*I quis uestrum, P.C. exspectat, quas sim provincias decreturus; consideret ipse secum, qui mibi homines ex prouincij potissimum detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conueniat, cum, quid mibi sentire necesse sit, cogitarit. Ac, si princeps eam sententiam dicerem, laudareis profecto: si solus, certe ignoscetis: etiam si paullo minus utilis uobis sententia uideretur, ueniam tamen aliquem dolori meo tribueretis. Nunc uero, P.C. non parua afficio uoluptate, uel quod hoc maxime reipublicæ conductit, Syriam, Maccdoniamque decerni, ut dolor meus nihil a communi utilitate diffeniat; uel quod habeo auctorem P. Seruilium, qui ante me sententiam dixit, uirum clarissimum, & cum in uniuersam rem publicam, tum etiam erga meam salutem fide, ac bencvolentia singulari. Quod si ille & paullo ante, & quotiescumque ei locus dicendi, ac potestas fuit, Gabiniū, & Pisonem, duo reipublicæ portenta, ac pāne funera, cum propter alias caussas, tum maxime propter illud insigne scelus eorum, & importunam in me crudelitatem, non solum sententia sua, sed etiam uerborum grauitate esse notandos putavit: quonam me animo in eos esse oportet, cuius illi salutem pro pignore tradiderunt, ad explendas suas cupiditates? Sed ego in hac sententia dicenda non parc*

parebo dolori meo , nec iracundi.e seruam : quo animo u-  
nusquisque uestrum debet esse in illos , hoc ero : præcipuum  
illum , & proprium sensum doloris mei , quem tamen uos P.B.  
communem semper uobis mecum esse duxistis , a sententia  
dicenda amouebo , ad ulciscendi tempora reseruabo . Quat-  
tuor sunt prouincia. P. C. de quibus adhuc intelligo senten-  
tias esse dictas : Gallia duæ , quas hoc tempore uno imperio  
uidemus esse coniunctas ; & Syria , & Macedonia , quas ,  
uobis inuitis , & oppressis , pestiferi illi consules pro euersa  
reipublica præmis occupauerunt : decernenda nobis sunt  
lege Sempronia duæ . quid est , quod possimus de Syria , Ma-  
cedonia que dubitare ? Mitto , quod eas ita partas habent  
ij , qui nunc obtinent , ut non ante attigerint , quam hunc or-  
dinem condemnavint ; quam auctoritatē uestram e ciuitate  
exterminarint ; quam fidem publicam , quam perpetuam  
populi Rom. salutem , quam me , ac meos omnes fœdissime ,  
crudelissimeq; uexarint . Omnia illa domestica , atq; urbana  
mitto : quæ tanta sunt , ut numquam Hannibal huic urbi  
tantum mali optarit , quantum illi effecerint . Ad ipsas ue-  
nio prouincias : quarum Macedonia , quæ erat antea mu-  
nita plurimorum imperatorum non turribus , sed trophæ-  
is ; quæ multis uictorijs erat iamdiu triumphisq; paccata sic  
a barbaris , quibus est propter auaritiam pax erepta , ue-  
xatur , ut Tessalonicenses positi in gremio imperij nostri ,  
relinquere oppidum , & arcem munire cogantur , ut uia il-  
la nostra , quæ per Macedoniam est usque ad Helleponsum  
militaris , non solum excursionibus barbarorum sit infe-  
sta , sed etiam castris \* Thracijs distincta , ac notata . Ita  
gentes hæ , quæ , ut pace uterentur , uim argenti dederant  
præclaro imperatori nostro , ut exhaustas domos replere  
possent , pro empta pace bellum nobis prope iustum in-  
tule

tulerunt. Iam uero exercitus ille noster superbissimo de-  
P.70. lectu, & durissima conquistione collectus, omnis interiit.  
magno hoc dico cum dolore: miserandum in modum mili-  
tes populi Romani capti, necati, deserti, dissipati sunt: in-  
curia, fame, morbo, uastitate consumpti: ut quod est indi-  
gnissimum scelus, si imperator in paenam exercitus expe-  
titus esse uideatur. Atque hanc Macedoniam, domitiis iam  
gentibus finiti mis, barbariaq; compressa, pacatam ipsam  
per se, & quietam tenui praefidio, atq; exigua manu etiam  
sine imperio, per legatos nomine ipso populi Romani tue-  
bamur: quæ nunc consulari imperio, atq; exercitu ita ue-  
xata est, uix ut se possit diuturna pace recreare: cum inte-  
rea quia uestrum hoc non audiuit, quis ignorat, Achæos  
ingentem pecuniam pendere L. Tisoni quotannis? ue-  
stigal, ac portorum Dyrrachinorum totum in huius  
unius quæstum esse conuersum? urbem Byzantiorum,  
uobis, atque huic imperio fidelissimam, hostilem in mo-  
dum esse uexatam? quo ille, postquam nihil exprimere  
ab egentibus, nihil ulla ui a miseriis extorquere potuit,  
cohortes in hiberna misit: his præposuit, quos puta-  
uit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cu-  
piditatum suarum. Omitto iurisdictionem in libera ci-  
uitate contra leges, senatusque consulta: cædes relinquo,  
libidines prætereo: quarum acerbissimum exstat indicium,  
& ad insignem memoriam turpitudinis, & pene ad in-  
stum imperij nostri odiorum: quod constat, nobilissimas vir-  
gines se in puteos abiecisse, & morte uoluntaria nefariam  
turpitudinem depulisse. Ne hac idcirco omitto, quod non  
grauiissima sint: sed quia nunc sine teste dico. Ipsam uero  
urbem Byzantiorum fuisse refertissimam, atque ornatis-  
simam signis, quis ignorat? quæ illi exhausti \* sumpibus  
bello

bellorum maximis, cum Matridaticos impetus, totumq;  
Pontum armatum, efferuercentem in Asiam, atque erum- P.B.  
pentem, ægre repulsum, & ceruicibus interclusum suis,  
sustinerent: tum, inquam, Byzantij, & postea signa illa,  
& reliqua urbis ornamenta sanctissime custodita tenuer-  
unt. te imperatore, infelicissimo, & tæterrimo, Cesonine  
Caluenti, ciuitas libera, & proximis suis beneficijs a Se-  
natu, & a populo Romano liberata, sic spoliata, atq; nu-  
data est, ut nisi C. Virginius legatus, vir fortis, & inno-  
cens, interuenisset; unum signum Byzantij ex maximo nu-  
mero, nullum haberent. Quod fanum in Achaia, qui locus,  
aut lucus in Græcia tota, tam sanctus fuit, in quo ullum  
simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit? Emisti a  
fœdissimo tribuno pleb. tum in illo naufragio huius urbis,  
quam tu idem, qui gubernare debueras, euerteras: tum  
inquam, emisti grandi pecunia, ut tibi de pecunijs credi-  
tis ius in liberos populos contra senatus consultum, & con-  
tra legem generi tui dicere liceret. id emptum ita uendidi-  
sti, ut aut ius non dices, aut bonis ciues Romanos euerte-  
res. Quorum ego nihil dico nunc, patres conscripti, homi-  
nem ipsum relinquo; de prouincia dispiuto. Itaque omnia  
illa, qua & s̄aepè audiatis, & tenetis animis, etiam si  
non audiatis, prætermitto: nihil hac eius urbana, quam  
ille præsens in oculis uestris, mentibusque defixit, auda-  
cia loquor: nihil de superbia, nihil de contumelia, nihil de  
crudelitate dispiuto: lateant libidines eius illa tenebricosæ,  
quas fronte, & supercilio, non pudore, & temperantia  
congebat: de prouincia, quod agitur, id dispiuto. Huic uos  
non summittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius, ut  
prouinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certauit,  
ut nemo posset, \* utrum deterior, an infilior esset, iudi-  
care

P. 71. care. An uero in Syria dintius est Semiramis illa retinenda? cuius iter in provinciam fuit eiusmodi, ut rex Ario-barzanes consulem uestrum ad cædem faciendam, tamquam aliquem Thracem, conduceret: deinde aduentus in Syriam primus equitatus habuit interitum: post concise sunt optimæ cohortes. Igitur in Syria, imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi passiones pecuniarum cum tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, cædes: cum palam populi Romani imperator instruto exercitu dexteram tendens, non ad landem milites bortaretur, sed omnia sibi & empti, & emenda esse clamaret. Iam uero publicanos miseros (me etiam miserum illorum ita de me meritorum miserijs, ac dolore) tradidit in seruitutem Iudeis, & Syria, nationibus natis seruituti. statuit ab initio, & in eo perseverauit, ius publicano non dicere: passiones sine ulla iniuria factas rescidit, custodias sustulit: ueltigales multos, ac stipendiarios liberavit: quo in oppido ipse esset, aut quo ueniret, ibi publicanum, aut publicani seruum esse ueruit. quid multa è crudelis haberetur, si in hostem animo fuisset eo, quo fuit in ciues Romanos, eius ordinis praesertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus sustentatus. Itaque uidetis, patres conscripti, non temeritate redemptionis, aut negotij gerendi infictia, sed auaritia, superbia, crudelitate Gabinijs, pœne afflictos iam, atque eueros publicanos: quibus quidem uos, in his angustijs ararij tamen subueniatis necesse est: et si iam multis non potestis, qui propter illum hostem senatus, inimicissimum ordinis equestris, bonorumque omnium, non solum bona, sed etiam honestatem miseri deriderunt; quas non persimonia, non continentia, non inertus, non labor, non splendor tueri potuit contra illius hel

beluonis, & prædonis audaciam. Quid? qui se etiam nunc  
subsidijs patrimonij, aut amicorum liberalitate sustentant;  
hos perire patiemini? An, si, qui frui publico non potuit  
per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria: quem is frui  
non sinit, qui est, etiam si non appellatur, hostis, huic  
ferri auxilium non oportet? Retinet igitur in provincia  
diutius eum, qui de socijs cum hostibus, de ciuibus cum so-  
cijs faciat passiones: qui hoc etiam se pluris esse quam col-  
legam putet, quod ille uos tristitia, multaque deceperit; ipse  
numquam se minus, quam erat, nequam esse simularit. Pi-  
so autem alio quodammodo gloriatur: se breui tempore  
persecisse, ne Gabinius unus omnium nequissimus existi-  
maretur. Hos uos de provincijs, si non aliquando deducendi  
essent, deripiendos non putaretis? & has \* publicas pestes  
sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, provin-  
ciarum uastitates, imperij maculas teneretis? At idem uos  
anno superiore hos eosdem reuocabatis, cum in provincias  
iam peruenissent. Quo tempore si liberum uestrum iudi-  
cium fuisset, nec toties dilatares, nec ad extremū e manibus  
crepta eset, restituissetis, id quod cupiebatis, uestra auco-  
ritatem, ijs, per quos erat amissa, reuocatis, & his ipsis  
præmijs extortis, quæ erant pro scelere atque euersione pa-  
triae consecuti. \* Quam pœnam si tum aliorum opibus, non  
suis, iniuitissimis uobis enolarunt; at aliā multo maio-  
rem, grauioremq; subierunt, quæ enim homini, in quo ali-  
quis si non fame pudor, at supplicij timor est, grauior pœ-  
na accidere potuit, quam non credi litteris ijs, quæ rem be-  
ne gestam in bello nuntiarent? hoc statuit senatus, cum fre-  
quens supplicationem Gabiniō denegauit: primum, homini  
sceleribus, flagitijs contaminatissimo nihil esse credendum:  
deinde proditore, atque eo, quem præsentem hostem reip.

P.72.

cognosset, bene rem geri non potuisse: postremo, ne deos  
quidem immortales uelle aperiri sua templa, & sibi sup-  
plicari, hominis impurissimi, & sceleratissimi nomine.  
Itaq; ille alter, aut ipse est homo doctus, & a suis Gracis  
subtilius eruditus, quibuscum iam in\* orchestra heluatur,  
antea post sapientiam solebat: aut amicos habet prudentio-  
res, quam Gabinius, cuius nullae litterae perferuntur. Hos-  
ce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet  
nos certiores facere, ut imperator appelletur: alteru; si ta-  
bellarij non cessarint, necesse est paucis diebus pœnitentia au-  
dere, cuius amici si qui sunt, aut si bellua tam immani, tam-  
que tauræ possunt ulli esse amici, hac consolatione utun-  
tur, etiam T. Albutio supplicationem hunc ordinem de-  
negasse. quod est primum dissimile. res in Sardinia cum  
mastrucatis latrunculis a proprætore una cohorte auxi-  
liaria gesta, & bellum cum maximis Syriae gentibus, tyran-  
nis, consulari exercitu imperioque confectum. deinde Al-  
butius, quod a senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante de-  
creuerat. constabat enim Gracum hominem, ac leuem in  
ipsa prouincia quasi triumphasse. Itaque hanc eius te-  
meritatem senatus, supplicatione denegata, notauit. Sed  
fruatur sane hoc solatio, atque hanc insignem ignomi-  
niam; quoniam uni præter se iniusta est, putet esse lenio-  
rem: dummodo cuius exemplo se consolatur, eius exitum ex-  
spectet: præsertim cum in Albutio nec Pisonis libidines,  
nec audacia Gabini fuerit: hac tamen una plaga concide-  
rit, ignominia senatus. At qui duas Gallias decernit con-  
sulibus duobus, hos retinet\* ambo: qui autem alteram  
Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam: tamen alterum  
retinet, & in utriusq; pari scelere disparem conditionem  
P. B. facilit. Faciam, inquit, illas prætorias. ut Pisoni, & Gabinio

succ

succedatur statim. Si hic sinat. tum enim tribunus intercede-  
 re poterit; nunc non potest. itaque ego idem, qui nunc con-  
 sulibus ijs, qui designati erunt, Syriam, Macedoniamq; de-  
 cerno, decernam easdem prætorias, ut & prætores annuas  
 prouincias habeant, & eos quamprimum uideamus, quos  
 animo & quo uidere non possumus. Sed, mihi credite, num-  
 quam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua in-  
 tercedi de prouincijs non licebit. Itaq;, hoc tempore amissio,  
 annus est integer uobis expeditus: quo intericto, ciuium  
 calamitas, sociorum orumna, sceleratissimorum hominum  
 impunitas propagatur. Quod si essent illi optimi uiri; ta-  
 men ego mea sententia C. Cæsari succedendum nondum pu-  
 tarem. Qua de re dicam, patres conscripti, quod sentio: atq;  
 illam interpellationem mei familiarissimi, qua paullo ante  
 interrupta est oratio mea, non pertimescam. Negat me  
 uir opimus inimicorem Gabinio debere esse, quam Cæ-  
 sari. omnem enim illam tempestatem, cui cesserim, Cæsare  
 impulsore, atque adiutore esse excitatam. cui si primum sic  
 respondeam, me communis utilitatis habere rationem, non  
 doloris mei; possimne probare, cum id me facere dicam,  
 quod exemplo fortissimorum, & clarissimorum ciuium  
 facere possim? At Tib. Gracchus (patrem dico, cuius uti-  
 nam filij non degenerasset a grauitate paterna) tantam  
 laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo  
 collegio L. Scipioni auxilio fuit inimicissimus & ipsius, &  
 fratri eius Africani; iurauitq; in concione, se in gratiam  
 non redisse: sed alienum sibi uideri dignitate imperij, quo  
 duces essent hostium, Scipione triumphante, ducti, eodem  
 ipsum duci, qui triumphasset. Quis plen'or inimicorum fuit  
 C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus, aliye inimici? omnes Me-  
 telli. at hi non modo illum inimicum ex Gallia sententijs

suis non detrahebant, sed & propter rationem Gallici belli  
prouinciam extra ordinem decernebant. Bellum in Gallia  
maximum gestum est: domitæ sunt a Cœsare maximæ na-  
tiones: sed nondum legibus, nondum iure certo, nondum  
satis firma pace, deuinctæ bellum effictum evidens, &  
uere ut dicam, pæne confectum; sed ita, ut si idem extrema  
persequitur, qui inchoauit; iam omnia perfecta uideamus:  
si succeditur, periculum sit, ne instauratas maximi belli  
reliquias, ac renouatas audiamus. Ergo ego senator in-  
imicus, si ita uultis, homini, amicus esse, sicut semper fui,  
reipub. debo. Quid si ipsas inimicitias depono reipublica  
causa: quis me tandem iure reprobendat? præsertim cum  
ego omnium meorum consiliorum, atq; factorum exempla  
semper ex summorum hominum factis mibi censuerim pe-  
tenda. Amnon Mille Lepidus, qui bis consul, & pontifex  
maximus fuit, nō solum memoria, & testimonio, sed etiam  
annualium litteris, & summi poetae uoce laudatus est, quod  
cum M. Fulvio collega, quo die censor est factus, homine  
inimicissimo, in campo statim rediit in gratiam, ut com-  
mune officium censuræ communi animo, ac uoluntate de-  
fenderent. Atque, ut uetera, quæ sunt innumerabilia, mit-  
tam, tuus pater, Philippe, nonne uno tempore cum suis ini-  
micissimis in gratiam rediit, quibus eum omnibus eadem  
reipub. reconciliauit, quæ alienarant? Multa præterea, quod  
intueor coram hac lumina, atq; ornamenta reipub. P. Ser-  
uilium, & M. Lucullum (utinam etiam L. Lucullus ille  
uiucret) quæ fuerunt inimicitia grauiores in ciuitate,  
P. B. quam Lucullorum, atq; Scraillorum? quas in uiris fortis-  
simis non solum extinxit reipub. dignitas, & ipsorum, sed  
etiam ad amicitiam, consuetudinemque traduxit. Quid? Q.  
Metellus Nepos, nonne consul in templo Louis Opt. Max.  
per

permotus cum auctoritate uestra, tum illius P. Seruiliij  
 incredibili grauitate dicendi, absens mecum, summo suo  
 beneficio redit in gratiam? An ego possum huic esse ini-  
 micus, cuius litteris, fama, nuntijs, celebrantur aures  
 quotidie mea & nouis nominibus gentium, nationum, loco-  
 rum? Ardeo, mihi credite, patres conscripsi, (id quod uos met  
 de me existimat, & facitis ipsi) incredibili quodam amore  
 patriæ; qui me amor & subuenire olim impendenibus pe-  
 riculis maximis, cum dimicatione capit is; & rausum, cum  
 omnia tela undiq; esse intenta in patriam uiderem, subire  
 coegit, atq; excipere unum pro uniuersis. Hic me meus in  
 rempubl. animus pristinus, ac perennis cum C. Cesare re-  
 ducit, reconciliat, restituui in gratiam, quod uolent deniq;  
 homines existiment: nemini ego esse possum bene de repub.  
 merenti non amicus. Etenim si ijs, qui hac omnia flamma,  
 ac ferro delere uoluerunt, non inimicitias solum, sed etiam  
 bellum indixi, atq; intuli, cum partim mihi illorum fami-  
 liares, parum etiam, me a fondente, capit is iudicijs essent  
 liberati: cur eadem res publ. quæ me in amicos insummare  
 potuit, inimicis placare non possit? Quod mihi odiu-  
 m P. Clodio fuit, nisi, quod perniciosum patriæ civi-  
 ore pu-  
 tabam: qui turpissima libidine incensus, & res sanctissi-  
 mas, religionem, & pudicitiar uno celere uiolasset? num  
 est igitur dubium ijs rebus, has is egit agitque quotidie,  
 quin ego in illo oppugnand, reipubl. plus, quam otio meo,  
 nonnulli in eodem defendendo, suo plus otio, quam con-  
 muni prospexerint? Ego me a C. Cesare in republ. dissen- P. 74.  
 sisse fateor, & sensisse uobiscum: sed nunc ijsdem uobis af-  
 sentior, cum quibus ante a sentiebam. uos enim, ad quos lit-  
 teras L. Piso de suis rebus non audet mittere, qui Gabinij  
 litteras insigni quadam nota, atque ignominia noua con-

demnastis, C. Cesari supplicationes decreuistis numero, ut  
nemini, ullo ex bello, honore, ut omnino nemini. cur igitur  
exspectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam  
reducat? reduxit ordo amplissimus, & ordo is, qui est &  
publici consilij, & meorum omnium consiliorum auctor,  
& princeps, nos sequor, patres conscripti, uobis obtem-  
pero, uobis assentior: qui, quamdiu C. Cesaris consilia in  
repub. non maxime diligebat, me quoq; cum illo minus  
coniunctum uidebatis: posteaquam rebus gestis mentes  
uestras, uoluntatemque mutatis, me non solum comitem  
esse sententia uestrae, sed etiam laudatorem uidistis. Sed  
qui est, quod in hac causa maxime homines admirantur,  
& reprehendant meum consilium, cum ego idem antea  
multa decreuerim, que magis ad hominis dignitatem  
quam ad reipubl. necessitatem pertinerent? supplicatio-  
nem quindecim dierum decreui sententia mea. reipu. satis  
erat tot dierum, quot C. Mario: dijs immortalibus non erat  
exigua eadem gratulatio, quae & maximis bellis. ergo ille  
cumulus dierum hominis est dignitati tributus. In quo  
quo consule referente, primum decem dierum suppli-  
catione creta Cn. Pompeio, Mitbridae interfecto, conse-  
ctoque Mu. didatico bello, & cuius sententia primum du-  
plicata est supplicatio consularis (mibi enim estis assensi;  
cum eiusdem Pompej litteris recitatis, consellis omnibus  
P. B. maritimis, terrestribusque ullis, supplicationem dierum  
duodecim decreuistis) sum Cn. Pompeij uirtutem, & animi  
magnitudinem admiratus, quod, ut ipse ceteris omnibus  
est omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri  
tribuebat, quam ipse erat consecutus. Ergo in illa supplici-  
atione, quam ego decreui, res ipsa tributa est dijs immor-  
talibus, & maiorum institutis, & utilitati reipub. sed di-  
gni

gniatas uerborum, honos, & nouitas, & numerus dierum,  
 Cæsar is ipsius laudi, & gloria concessus est. Relatum est  
 ad nos nuper de stipendio exercitus: non decreui solum, sed  
 etiam, ut uos decerneretis, laborauit: multa dissentienti-  
 bus respondi: scribendo affui: tum quoque homini plus  
 tribui, quam nec scio cui necessitati. illum enim arbitrabar  
 etiam sine hoc subsidio pecunie retinere exercitum, præda  
 ante parta, & bellum confidere posse: sed decus illud, &  
 ornamentum triumphi minuendum nostra parsimonia  
 non putauit. Actum est de decem legatis, quos alij omnino  
 non dabant, alij exempla querebant, alij tempus differe-  
 bant, alij sine ulla uerborum ornamenti dabant. in ea  
 quoque re sic sum locutus, ut omnes intellegenterent, me id,  
 quod, reip. causa sentirem, facere uberioris propter ipsius  
 Cæsar is dignitatem. At ego idem nunc in provincijs de-  
 cernendis, qui illas omnes res egī silentio, interpellor: cum  
 in superioribus causis hominis ornamenta fuerint, in hac  
 me nihil aliud, nisi ratio belli, nisi summa utilitas reipub.  
 moueat. Nam ipse Cæsar, quid est, cur in provincia com-  
 morari uelit, nisi ut ea, que per eum affecta sunt, perfecta  
 reipub. tradantur? amœnitas eum credo locorum, urbium  
 pulchritudo, hominum, nationumq; illarum humanitas,  
 & lepos, uictoriae cupiditas, finium imperij nostri propa-  
 gatio retinet. quid illis terris asperius? quid inculius op-  
 pidis? quid nationibus immanius? quid porro tot uictorijs  
 prestabilius? quid Oceano longius inueniri potest? An re-  
 ditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum apud  
 populum, a quo missus est, an apud senatum, a quo orna-  
 tus est? an dies auget eius desiderium, an magis obliuio-  
 nem; ac laurea illa magnis periculis parta amittit longo  
 interuallo uiriditatem? Quare, si qui hominem non dili-  
P. 75.  
 ll 3 gunt,

gunt, nihil est, quod cum de prouincia deuocent. ad gloriam deuocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorem senatus, equestris ordinis gratiam, populi caritatem. Sed si ille, bac tam eximia fortuna propter utilitatem reipub. frui non properat, ut omnia illa conficiat: quid ego senator facere debeo, quem, etiam si ille aliud uellet, recipit. consilere oportet? Ego uero sic intelligo, patres conscripti, nos hoc tempore in prouincijs decernendis perpetua pacis habere oportere rationem, nam quis hoc tempore non sentit, omnia alia esse nobis uacua ab omni periculo, atq; etiam ab omni suspicione belli? iamdiu mare uidemus illud immensum, cuius seruore non solum maritimi cursus, sed urbes etiam, & uiae militares iam tenebantur, uirtute Cn. Pompeij sic a populo Ro. ab Oceano usq; ad ultimum pontum, tamquam unum aliquem portum tutum & clausum teneri: nationes eas, quæ numero hominum, ac multitudine ipsa poterant in prouincias nostras rediudare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut Asia quæ imperium antea nostrum terminabat, nunc tribus nouis prouincijs ipsa cingatur. Possum de omni regione, de omni hostium genere dicere. nulla gens est, quæ non aut ita subacta sit, ut uix exstet; aut ita domita, ut quiescat, aut ita pacata, ut uictoria nostra, imperioq; latetur. Bellum Gallicum, patres conscripti, C. Cæsare imperatore gestum est; antea tantum modo repulsum. semper illas nationes nostri imperatores, refutandas potius bello, quam laceffendas putauerunt. Ipse ille C. Marius, cuius diuina atq; eximia uirtus magnis populi Rom. libellibus, funeribusq; subuenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit: non ipse ad eorum urbes, sed esq; penetrauit. Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius

Jocius, C. Pontinius, fortissimus uir, ortum repente bellum  
 Allobrogum, atque hac scelerata coniuratione excitatum  
 prælijs fregit, eosdem domuit, qui laceſſerant. & ea uicto-  
 ria contentus reipub. metu liberata, quietuit. C. Casaris lon-  
 ge aliam video fuisse rationem, non enim sibi solum cum  
 ijs, quos iam armatos contra populum Roma. uidebat, bel-  
 landum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem  
 esse redigendam. itaq; cum acerrimis nationibus, & maxi-  
 mis, Germanorum, & Helvetiorum; prælijs felicissime de-  
 certauit: ceteras contriuit, \*contudit, domuit, imperio po-  
 puli Rom. parere affuefecit: & quas regiones, quasq; gen-  
 tes nullæ nobis ante litteræ, nulla uox, nulla fama notas  
 fecerat, has noster imperator, nosterq; exercitus, & populi  
 Rom. arma peragrarunt. semitam tantum Gallie teneba-  
 mus ante a patres conscripti: ceteræ partes a gentibus aut  
 inimicis huic imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certe  
 immanibus, & barbaris, & bellicos tenebantur: quas na-  
 tiones nemo umquam fuit, quin non frangi, domariq; cupe-  
 ret: nemo sapienter de repub. nostra cogitauit iam inde a  
 principio huius imperij, quin Galliam maxime timendam  
 huic imperio putaret: sed propter uim, ac multitudinem  
 gentium illarum, numquam est antea cum omnibus dimi-  
 catum. restitimus semper laceſſiti. nunc denique est perfe-  
 ctum, ut imperij nostri, terrarumq; illarum idem effet ex-  
 tremum. Alpibus Italiam muniuerat ante natura non sine  
 aliquo diuino numine. nam, si ille aditus Gallorum immo-  
 nitati, multitudinique patuſſet; numquam hac urbs summo  
 imperio domiciliū, ac sedem præbuſſet: qua iam licet  
 considerant. nihil est enim ultra illam altitudinem montium  
 usque ad Oceanum, quod sit Italæ peritimescendum. Sed  
 ramenuna, atque altera astas uel metu, uel spe, uel pena,

P.76.

uel præmijs , uel arnis uel legibus potest totam Gal-  
liam sempiternis vinculis astringere. impolitæ uero res,  
& acerbæ si erunt relictae , quamquam sunt abscissa ; ta-  
men efferent se aliquando , & ad renouandum bellum re-  
uirentur. Quare sit in eius tutela Gallia , cuius uirtuti,  
fidei , felicitati commendata est. Etenim , si fortunæ mu-  
neribus amplissimis ornatus , sapius eius dea periculam  
facere nollet , si in patriam , si ad deos penates , si ad eam  
dignitatem , quam in ciuitate sibi propositam uidet , si  
ad incundissimos liberos , si ad clarissimum generum re-  
dire properaret , si in Capitolium inuehi nictor cum illa  
in signi laurea gestiret ; si denique timeret casum aliquem ,  
qui illi tantum addere iam non potest , quantum auferre:  
uos tamen oportet ab eodem illa omnia , a quo profi-  
gata sunt , conficiuelle. cum uero ille sua gloria iampri-  
dem , reipublica nondum satisfecerit , & malit tamen tardius  
ad suorum laborum fructus peruenire , quam non  
explere susceptum reipublica munus ; nec imperatorem  
P.B. incensum ad rempublicam bene gerendam reuocare , nec  
totam Galici bellū rationem prope iam explicatam per-  
turbare , atque impedire debemus. Nam illæ sententiæ ui-  
rorum clarissimorum minime probanda sunt : quorum al-  
ter ulteriore Galliam decernit cum Syria , alter citerio-  
rem. qui ulteriore , omnia illa , de quibus differui paulo  
ante , perturbat : simul ostendit eam se sciscere legem , quam  
esse legem neget ; & , quæ pars prouincia sit , \* cui non pos-  
si intercedi , hanc se auellere : quæ defensorem habeat , non  
tangere : simul & illud facit , ut , quod illi a populo datum  
sit , id non uiolet , quo i senatus dederit , id senator properet  
auferre. Alter Belli Gallici rationem habet : fungitur offi-  
cio boni senatoris : legem , quam non putat , eam quoque scr-  
uat

uat, præfinit enim successori diem. \* qui mibi nihil uidetur minus a dignitate, disciplinaq; maiorum dissidere, quam ut, qui consul Kalend. Ianua, habere prouinciam debet, is ut eam de sponsam, non decretam habere uideatur: fuerit tote in consulatu sine prouincia, cui fuerit antequam designatus esset, prouincia de cœta sortietur, an non? nam & non sortiri, absurdum est; & quod sortitus sis non habere, proficiscietur paludatus? quo? quo peruenire ante certa diem non licebit. Ianuario, Februario, prouinciam non habebit: Kalendis ei deniq; Martijs nascetur repente prouincia. Atamen his sententijs Piso in prouincia permanebit. Quæ cum grauiæ sunt, tum nihil grauius illo, quod multari imperatorem deminutione prouincia contumeliosum est: neq; solum summo in iuro, sed etiam in mediocri homine ne accidat, prouidendum. Ego uos intelligo, P.C. multos decrevisse honores eximios C. Cæsari, & prope singulares, quod ita meritus erat: gratis etiam, ut quam coniunctissimus huic ordini esses. sapientes, ac diuini fuitis. neminem umquam est hic ordo complexus honoribus, & beneficijs suis, qui ullam dignitatē præstabiliorē ea, quam per nos esset adeptus, putarit. nemo umquam hic potuit esse princeps, qui maluerit esse popularis. sed homines aut propter dignitatem suam diffisi ipsi, aut propter reliquorum obtestationem, ab huic ordinis coniunctione depulsi, sape ex hoc portu se in illos fluctus prope necessario contulerunt: qui si ex illa iactatione, cursuque populari bene gesta rep, referunt aspectum in curiam, atque huic amplissimæ dignitati commendati esse uolunt, non modo non repellendi sunt, uerum etiam expetendi. Monemus a fortissimo iuro, atque optimo post hominum memoriam consule, ut prouideamus, ne citerior Gallia, nobis iniurias, alicui decernatur

post eos consules, qui nunc erunt designati, perpetuoque posthac ab ijs, qui hunc ordinem oppugnant, populari, ac turbulentia ratione teneatur. Quam ego plagam etsi non contemno P. C. præsertim monitus a sapientissimo consule, & diligentissimo custode pacis, & otij; tamen uehementius arbitror pertimescendam, si hominum preclarissimorum, ac potentissimorum aut honorem minuerio, aut studium erga hunc ordinem repudiaro. nam ui C. Iulius omnibus a senatu eximijs, ac nouis rebus ornatus, per manus hanc prouinciam tradat ei, cui minime nos uelitis: per quem ordinem ipse amplissimam sit gloriam consecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandum nullo modo possum. Postremo quo quisque animo futurus sit, nescio: quid sperem, video. præstare hoc senator debo, quantum possum, ne quis uir clarus, aut potens huic ordini iure irasci posse videatur.

P.B. Atque hoc, si inimicissimus essem C. Casari, sentire tam  
en reip. caussa. Sed non alienum esse arbitror; quo minus  
sæpe aut interpellera nonnullis, aut tacita existimatione  
reprehendar, explicare breuiter, quæ mihi sit ratio, &  
caussa cum Casare. Ac primū illud tempus familiaritatis,  
& consuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C.  
Varroni consobrino nostro ab omnium nostrum adoles-  
centia fuit, pratermitto. poste aquā sum penitus in remp.  
ingressus, ita dissensi ab illo, ut in disiunctione sententia,  
coniuncti tamen amicitia maneremus. Consul ille egit eas  
res, quarum participem me esse uoluit: quibus ego si minus  
assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat.  
me ille, ut quinque viratum acciperem, rogauit: me in tribus  
sibi coniunctissimis consularibus esse uoluit: mihi legationē,  
quam uellem, quanto cum honore uellem, detulit. Quæ ego

om

omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententia repudians. quam sapienter, non dispuo. multis enim non probabo. constanter quidem, & foriiter certe. qui cum me fortissimis opibus contra scelus inimicorum munire, & populares impetus populari praesidio possem propulsare; quamvis excipere fortunam, subire uim, atq; iniuriam mali, quam aut a uestris sanctissimis mentibus dissidere, aut de meo statu declinare. Sed non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, uerum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, & conuenire ijs rebus, quas gesseram, non putabam illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem ciuem suum generum, sentiebam. traduxit ad plebem inimicum meum: siue iratus mibi, quod me secum ne beneficijs quidem uidebat posse coniungi; siue exo- p. 78.  
ratus. ne hoc quidem fuit iniuria. nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, uerum etiam rogauit. ne id quidem accepi: non, quo alienum me a dignitate arbitrarer, sed, quod tantum r. eipub. sceleris impendere a consulibus proximis non suspicabar. Ergo adhuc magis est mihi uerendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quam ne illius iniuria in nostra amicitia reprehendatur. Ecce illa tempestas, caligo bonorum, & subita, atq; improuisa formido, tenebre reip. ruina, atq; incendium ciuitatis, terror iniectus Casari de eius actis, metus cædis bonis omnibus, consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. si non sum adiutus, non debuit: si desertus, sibi fortasse prouidit: si etiam oppugnatus, ut quidam aut purat, aut uolunt: uiolata amicitia est, accepi iniuriam, inimicus esse debui: non nego. sed si idem ille tum me saluum esse uoluit, cum uos me, ut carissimum filium, desiderabatis; & si uos ijdem pertinere ad caus

caustum illam putabatis, uoluntatem C. Cæsaris a salute  
mea non abhorrete: & si illius uoluntatis generum eius  
habeo testem, qui idem Italianum in municipijs, populum  
Romanum in concione, uos mei semper cupidissimos in Ca-  
pitolio ad meam salutem incitauit: si deniq; Cn. Pompeius  
idem mibi testis de uoluntate Cæsario, & sponsor est illi de  
mea: nonne uobis uideor & ultimi temporis recordatione  
& proximi memoria, medium illud tristissimum tempus  
debere, si ex rerum natura non possim euellere, ex animo  
quidem certe excidere? Ego uero, si mibi non licet per ali-  
quos ita gloriari. me dolorem, atq; inimicitias meas reip.  
concessisse, quod magni cuiusdam hominis, & persipientis  
uidetur: utar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam,  
P.B. quam ad uitandum uituperationem ualeat, hominē me esse  
gratum: & non modo tantis beneficijs, sed etiam mediocri  
hominem benevolentia commoueri. a uiris fortissimis, &  
de me optime meritis quibusdam peto, ut, si ego illos meo-  
rum laborum, & incommodorum particeps esse nolui, ne  
illi me suarum inimicitarum socium uelint esse: præserium  
cum mibi idem illi concesserint, ut etiam acta illa Cæsaris,  
quaæ neq; oppugnaui ante a, neq; defendi, meo iam iure pos-  
sim defendere. nam summi ciuitatis uiri, quorum ego con-  
silio remp. conseruavi, & quorum auctoritate illam con-  
iunctionem Cæsaris defugi, Iulias leges, & ceteras illo  
consule rogatas, iure latas negant. idem illam proscriptionem  
capitis mei, contra salutem reip. sed saluis auspicijs roga-  
tam esse dicebant. itaq; uir summa auctoritate, summa elo-  
quentia dixit grauiter, casum illum meum, funus esse reip.  
sed funus in stum, & indictum: mihi ipsi omnino perdono-  
rificum, discessum meum funus dici reip. Reliqua non repre-  
hendo, sed mibi ad id, quod sentio, assumo. nam si illud iure  
roga

rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit,  
 nulla lege licuit, quia nemo de cælo seruarat; oblitine erat,  
 tum, cum ille, qui id egerat, plebeius est lege curiata factus  
 dici de cælo esse seruatum? qui, si plebeius omnino esse non  
 potuit, qui tribunus pleb. potuit esse? & cuius tribunatus,  
 si ratus est, nihil est, quod irritum ex artis Cæsaris possit esse;  
 eius non solum tribunatus, sed etiam perniciōsissimæ\* res,  
 auspicionum religione conseruata, iure latæ uidebuntur?  
 Quare aut nobis statuendum est, legem Aeliam manere,  
 legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis le-  
 gem ferri licere: cum lex feratur, de cælo seruari, obnuntia-  
 ri, intercedi licere: censorium iudicium, ac notionem, & il- P. 79.  
 lud morum severissimum magisterium, non esse nefarij  
 legibus de ciuitate sublatum: si patricius tribunus pleb. fue-  
 rit, contra leges sacras; si plebeius, contra auspicia fuisse  
 aut mibi concedat homines oportet, aut in rebus bonis non  
 exquirere iura ea, quæ ipsi in perditis non exquirunt, præ-  
 tertim cum ab illis aliquoties condicio C. Cæsari lata sit, ut  
 easdē res alio modo ferret: qua condicione auspicia requi-  
 rebant, leges comprobabant: in Clodio auspiciorum ratio  
 sit eadem, leges omnes sint euersæ, ac perditæ ciuitatis. Ex-  
 tremum illud est: ego, si essent inimicitiae mibi cum C. Cæ-  
 sare, tamen hoc tempore reipub. consulere, inimicitias in  
 aliud tempus referuare deberem, possem etiam summorum  
 iurorum exemplo inimicitias reip. caussa deponere: sed, cum  
 inimicitiae fuerint numquam, opinio iniuria beneficio sit  
 extincta, sententia mea, P. C. si dignitas agitur C. Cæsaris.  
 homini tribuam: si honos quidam, senatus concordia consu-  
 lam: si auctoritas decretorum uestrorum, constantiam  
 ordinis in eodem ornando imperatore seruabo: si perpetua  
 ratio Gallici belli, reip. prouidebo: si aliquod meum pri-

uatum officium; me non ingratum præstabo. Atq; hoc uelim probare omnibus, patres conscripti: sed leuisime feram, si forte aut ijs minus probaro, qui meum inimicum, repugnante uestra auctoritate, texerunt; aut ijs, si qui meū cum inimico suo redditum in gratiam uituperabunt, cum ipsis & cum meo, & cum suo inimico in gratiam non dubitarent redire.



## P.B. IN L. PISONEM.

ORATIO XXXVII.

Deest principium.

**G**amine uides bellua: iamne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum nescio quem de grege nouitorum factum esse cōsulem. non enim nos color iste seruiliſ, non pilosæ genæ, non dentes putridi decperunt: oculi, supercilia, frons, nultus deniq; totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in errorem homines impulit: hic eos quibus erat ignotus, decepit, fefellit, \* induxit. Pauci ista tua lutulentia uitia noueramus, pauci tarditatem ingenij, stuporem, debilitatemque linguae. numquam erat audita vox in foro: numquam periculum factum consilio: nullum non modo illustre, sed ne notum quidem factum, aut militia, aut domi. obrepisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil, præter colorem. Is mibi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum mihi ista licet de me uera cum gloria prædicare. omnes enim